GALLIA NYMPHA;

AD CLEMENTEM VIII. PONTIFICEM MAX. SANCTISSIMVM.

IN HENRICVM BORBONIVM QVARTVM
Francorum ac Nauarrorum Regem Chriſtianiſsimum.

PROSPERI TATII
CIVIS FLORENTINI.

ELEGIA.



MED. PALAT. BIBL. CAES.

FLORENTIAE
APVD GEORGIVM MARESCOTVM. 1597.

Superiorum Permiſſu.

GALLIA NYMPHA.

AD CLEMENTEM VIII.
PONTIFICEM MAX.
SANCTISSIMVM.

IN HENRICVM BORBONIVM QVARTVM
Francorum ac Nauarrorum Regem Christianiſſimum.

PROSPERI TATII
CIVIS FLORENTINI.

ELEGIA.



FLORENTIAE
APVD GEORGIVM MARESCOTVM. [illegible]

Superiorum Permiſſu.

[illegible]

I-3

ELEGIAE ARGVMENTVM EIVSDEM.

GALLICA PASTOREM
VENIAM MVTATA
REPOSCIT
DAT VENIAM ORANTI
PASTOR RECIPITQVE
VOLENTEM.

GALLIA NYMPHA.

AD CLEMENTEM VIII. PONTIFICEM MAXIMVM SANCTISSIMVM.

In Henricum Borbonium IIII. Francorum ac Nauarrorum Regem Chriſtianiſſimum.

Proſperi Tatii Ciuis Florentini.

ELEGIA.

F*LVCTVAT heu quãtis heu, res humana procellis*
Dic querulis lugens, dic Elegeia modis.
Nullus in hoc pelago felici ſydere viuit.
Vt venit in lucem, mens ſua quemque manet.

Huc illuc rapimur ſtudio; ſua quemque libido
Angit, & interdum nitimur in vetitum.
Hic ſtatus eſt nullus quem non fortuna miniſtret
Ludifica, illuſtreis exagitetq; viros.
Nulla quies tanta eſt, quam non diſcordia vexet,
Sceptraq; nec regum fraude carere ſinit.
Viq; bonis cedis, nec lex eſt integra nobis;
Aereq; vel remanent irrita iura dato.
Omnia praua vigent, & honos corrumpitur ipſe;
Eſt ſine lege fides, eſt ſine lege pudor.
Cuinam liuor edax parcis? tua turba maligno
Inuida laudatos carpere dente ſolet.
Quid non ſacra fames auri, regniq; cupido
Flectitis in vitium cærea corda hominum?
O infelix hominum ratio. mors vna deinde
Surripit è medio terra quid intus alit.
Inclyta ſola nitet præclaro in pectore virtus,
Nec timet horrificas diuitis illa minas.
Ac Pietas floret tantum, licet illa videtur
Plurima ſollicitis damna doloſq; pati.

Omnia

Omnia ſed pietas ſuperat ſyncera, nec vnquam
Fallimur hac ducti, nec miſero hac melius.
Nouimus hanc poſtquam, tali cuſtode quis illa
Forte reformidat quæ metuenda putet?
Fluctibus in medijs non ſperet & ipſe ſalutem
Naufragus, & placidas nauita tendat aquas.
En Rhodano ſparſis lugubri in veſte capillis
Nympha pia amphractus littora mille petit.
Nec patrias curat ſyluas, nec commoda rura
Ducit, vt amiſſam pulſa paret requiem.
Conuenit monſtrum, & ſæuo perterrita vultu
Incidit heu ſyrteis fluctibus acta nouis.
Conſilioq; vacans reputat, ne forte Carybdis
Qua trahat in præceps ſeq; ſuamq; ratem.
Victa labore graui ſaxis altaria curat;
Vota refert inter ſaxa ſacrumq; manens.
Dum timet (ò pietas) ſceleris luciſq; pigetq;
Mulcetur blanda Gallica voce gemens.
Numina & intereà diuina afflatur ab aura
Vera ſequi, & ſuiſus linquere falſa malos.

Ac futiles animo cultus abolere nefando,
Tollere tum fictum relligionis opus.
O nimium fœlix, dio cui munere dignæ
Cæleſtis flammæ corda fauilla fouet.
Sic non dum fuerat ſomno experrecta remiſſo,
Vicerat vt rabidos aura ſecundæ nothos.
Denique perueniens Tyberina ad littora neſcit
Nec quid agat, dubium ferre nec inde pedem.
Plena Deo aſt ſemper, nec iure oblita potentis
Hæc Vaticani talia verba tonat.
Hàc ferar ad ſeptem colleis, vbi mœnia ſurgunt
Romuleis, faueant numina dia, ſequar.
Gallica res quondam hic ſiluit tranquilla per annos,
Hincq; fui triſtis faſce leuata graui.
Protinus ingreditur mœrens vbi fata ſinebant,
VNIGENO intendens reddere vota DEO.
Atque hunc velle ſequi TRINVM mutata Monarchã
Conſtituit firmo relligione animo.
Nam pater, vt ſoboles (dictu mirabile) & almus
Spiritus, vna trias & DEVS vnus adeſt.

Quin tribus his patilis virtus, licet vna poteſtas,
Numine quo ſolo cuncta creata vigent.
Felix ille animus, vacuas dum carpimus auras,
Qui nunquam ſupero flagrat amore ſatur.
Hinc quæ neglexit complecti ſacra fatetur,
(O ſcelus indignum) turba nefanda, piè.
Hæc ſacra ſuffultus PETREO *fundamine cœtus,*
Edoctusq; DEI *myſtica dicta refert.*
Primus & hos mores, cùm crimina venit IESVS
Deleturus ouans ſanguine noſtra, tulit.
Hosq; ſui clarum monumentum, & pignus amoris
Eſſe dedit, celſus dum feret aſtra Polus.
Quos tibi Chriſtiparens meritos reddemus honores
Inſignis ſpeculum VIRGO *pudicitiæ?*
Tu capis ex alto miſerans ſuſpiria cælo,
Pro miſeris nato ferſq; beata preces.
Quos vobis fidei ſancta mera lumina CHRISTI
Heroes cæli, præſidiumq; ſoli?
Vos precibus noſtris ſuperos cælumq; mouetis,
Ne ſera lance DEVS *ponderet acta graui.*

Et

Et miſeret crebro; heu ventis ferremur, ab alto
Ore pio praſtò ni pia turba foret.
Hæc vbi Chriſticola eſt ſecum meditata, tetendit
Ad Cœlum palmas, lumina fixa DEO.
Paſtoremq́; ambit reſidentem, vbi PETRVS *ouile*
Florifero pauit tempore CHRISTIGENVM.
Auxilium petitura refert, quò tuta rediret,
Vota; ſacro tentat figere labra pedi.
Inſcia nec quoties GENITRIX *mitiſsima læto*
Claui ferà excipiat deuia corda ſinu.
Quin tenet & CHRISTVM Paullũ recepiſſe volẽtẽ,
Qui populum contra contulit arma ſuum.
Doctoremq́; ſuum meminit bis terq́; negantem
Ac tamen ignouit, cùm gemuiſſe ſatis.
Atque gregis tum cura premit qui cogat in vnum
Errantes charo de grege paſtor oues.
Intereà pingens humilis rubor ora genasq́;
Talia paullatim rumpere verba ſinit.
Quæ lædant animum, vel quod magis æſtuat intus
Exponam, CLEMENS *nam mihi* PASTOR *ades.*

Tu ſi dum Aonium libaris Muſa liquorem,
Muſa faue, inq; potens perfuge laudis onus.
Accipe ſic PASTOR *clara Sanctiſſime fronte,*
Quin graue ſollicitæ dirige mentis opus.
Nauita ceu ventis puppim vexatus iniquis
Labitur in fluctus ſpeq; ſalutis abeſt:
Tangere vel portum neſcit; niſi nobile ſydus,
Si qua fata ſinant, annuat axis opem.
Aequore fluctiuago fractis ſine remige velis,
Obruta vel portu nube minante procul,
Triſtis ago; vnde optata mihi per ſæpe caryna
Tuta fuit triſti tunc cynoſura mea.
Cui datur & motos numen componere fluctus,
Quam per & ambigua nec ſinit ire via;
Intrepide vt poſſim tumidum conſcindere pontum,
Rumpere tum ſpumas iam ſalis ante redux.
Denique vel tantis ſubitis confiſa periclis,
Laxari, & damnis auſpice poſſe duce;
Aëra percerno, Boreamq;, Nothumq; ruenteis,
Sydera qui cælant; quiq; diem rapiunt.

Hicque

Hicq́ procellarum numerus ſuper imminet ingens
Stridentum, magni trunca ruina poli.
Vnde per arentes ſcopulos, ſyrteisq́ pererrat.
Parua graueis acto noſtra Aquilone ratis.
Prorſus &, hei miſerae, ceſſat ſpes blanda futuri
Auxilij; & nequeo tendere littus ouans.
Tetra, fatebor enim, huc me me mea crimina ducunt,
Nec mage quàm veniam, Tartara ſæua manent.
Iamq́; pudet miſeram: tamen eſt mihi nulla petenti
Spes veniæ, vt fato functa quiete fruar.
Quare mihi plorare locus, tempusq́; dolendi
Linquitur, & quæſtus fertur ad aſtra nimis.
Heu ſortis quis ſorte mea miſerebitur ergo?
Quæ mihi monſtrabunt SYDERA tuta viam?
Ad te non fugiam CLEMENS, digniſſime PASTOR?
Non tua ſuppliciter numina ſancta petam?
Qui ſuperas Fabium ſumma pietate, Numamq́;
Cui nihil eſt pura relligione prius.
Imperio cuius decoratur TRINA POTESTAS,
Cuius & imperio paret vterque Polus.

Nec Boreæ metuis rabiem, ſæuumq́; furorem,
Omina nec palles dira minantis auis.
Clauibus atque datis ſupera ſuffultus ab arce
Tu reſeras cœli ſcamna beata pijs.
Tu, ſi chara tamen pietas reſpexerit olim
Res hominum tenueis, & mala damna iuuat;
Iam fer opem qui ferre potes, iam conſule rebus
Tu firma ô infirmæ tu CYNOSVRA ratis.
Vt iam Romulides noſtri ſenſere rogantes
Mî faueas, rogito, meq́; fauore leues.
Adſpice cor purum; & tandem miſerere precantis.
Parce (tuum namque eſt parcere) parce PATER.
Accipe Summe PATER, lætoq́; amplectere uultu.
Nunc abiurantem dogmata ficta, precor.
Nec velis vt tua iactetur tot Gallia ventis,
Nec velis ô CLEMENS ſtet ſine pace vagans.
Stat ſine Rege pius populus. Rex Gallicus ecquis
Auferet è rabido ſacra ſepulcra cane?
Quis regnum & vitam charo cum ſanguine fundet,
Pro CHRISTI populo, ſaluificaq́; fide?

Deuotam ah releues, ac tœdia longa laborum,
Ah cape labantem, ſuſtine noſtra, rege.
Iam niue frigidior facta eſt incultaq; tellus,
Nilq; ferunt grati prædia, dulce nihil.
Non plus humum flores pingunt, non campus ariſtis
Flaueſcit, Bacchus dulce liquore caret.
Non certant Galli conſtricto gutture cantu;
Obſtructa fauces voxq; repreſſa manet.
Magna Ceres quin moeſta iacet, quin Daphnis in hortis
Languet, & in ſyluis gaudia nulla iuuant.
Vix premat, heu quoties timeo, quæ gramina reſtant
Barbarus, ac reſecet falx inimica roſas.
Protinus inuadat ſtabulis lupus impius agnos;
Sorbeat ingluuie dulcia mella fauis.
Ergo age, nunc tanto me me, rogo, ſolue timore,
Meq; tege occultis PASTOR *ab inſidijs.*
Namque ope tu tanta veluti nos cernis egere,
Sic vni fuerit gloria, honorq; tibi.
Gloria honorq; tibi fuerit, dum Phœbus, & ardens
Luna per incenſis æthera curret equis.

Can.

Candida Sydereum CLEMENTIA *ſcādet Olympum,*
Quò memori grati ſit ſatis officij,
Eſſe queāt vnquàm quæ pòſt incommoda CLEMENS.
Dextera ſi reparet noſtra pericla tua?
Creſcet in immenſum, vireſque acquiret in orbe
Sancta fides; veri dogmata vera DEI.
Iam cultus reddetur ho: os non fictus, & imo
Linquentur Satanæ iura neſanda PATER.
Nusquam Scytha ferox expandet Martia ſigna,
Quin Maumetigenæ cornua fracta gerent.
En procul arcebit Germanus & ipſe timorem;
Curret auiſque biceps regna remota Iouis.
Hac Dea: ſed Paſtor CLEMENS *bona dixit: & illa*
Dat placido ſperans vela ſecunda Mari.
Tu modo pelle grauem triſti de pectore curam,
Pone ſupercilium Gallia mœſta tuum.
Indue ſollicitam mentem noua gaudia, ſæpe
Supplice vincuntur marmora dura prece.
Felices populi Rex auro inſpectus & oſtro
Expectate, aderit, Typhis & alter erit.

Oſtia